

Franckesche Stiftungen zu Halle

Io. Anast. Freylinghsii, Pastoris Vlriciani Et Gymnasii Scholarchae, Fvndamenta Theologiae Christianae, In Doctrinis Fidei Ex Verbo Dei Perspicve ...

Freylinghausen, Johann Anastasius

Halis Magdeb., MDCCLXXV.

VD18 13062689

Articulus Decimus Quartus De Sacra Coena.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-206191

inde (6) corporum nostrorum refuscitationem in illo die quam certissime sperare et expectare possimus, cetera. 1 Cor. XV, 29.

ARTICVLVS DECIMVS QVARTVS

DE

SACRA COENA.

§. I.

Quod-
nam alte-
rum noui
testamen-
ti sacra-
mentum?
Alterum noui testamenti sacramentum est *sacra cœna* (1 Io. V, 6.) siue cœna dominica, 1 Cor. XI, 20. mensa Domini, 1 Cor. X, 21. de qua itidem præcipua momenta memoranda sunt.

§. II.

Auctor et
fundator
eius quis?
Auctor et fundator eius est Iesus Christus, Dominus noster, quippe qui eam non tantum paullo ante mortem suam piacularem, ea nocte, qua traditus est, post esum agni paschalis primus instituit discipulisque suis distribuit; sed constantem quoque eius usum et exercitium usque ad aduentum suum ad iudicium iniunxit, et adhuc in isto actu, quotiescumque ex præscripto ipsius instituitur, efficacitatem prodit. Matth. XXVI, 26. Marc. XIV, 22. Luc. XXII, 19. 1 Cor. XI, 23.

§. III.

Quid in
sacra cœ-
na exhi-
betur et
accipitur?
Res, quæ in sacra cœna exhibetur et sumitur, est partim visibilis et terrena, partim inuisibilis et cælestis, quemadmodum supra data sacramenti descriptio postulat. *Visibilis*
et

et terrena est panis et vinum, Matth. XXVI, 26. 29. inuisibilis et celestis est corpus Christi pro nobis datum, Luc. XXII, 19. et fractum, 1 Cor. XI, 24. seu caro, quam pro mundi vita dedit, Io. VI, 51. verum manna et panis vitalis, com. 32. 41. 48. 50. quæ est ἀληθῶς βρωσις, vere cibus, com. 55. et sanguis Christi, sanguis noui testamenti, pro multis effusus in remissionem peccatorum, Matth. XXVI, 28. Marc. XIV, 24. Luc. XXII, 20. 1 Cor. XI, 25. qui est ἀληθῶς πῶσις, vere potio, Io. VI, 55. Vt proinde panis, qui frangitur, non simplex et nudus panis, et vinum in calice, cui benedicitur, non simplex et nudum vinum, adeoque hic cibus et potus ab alio vulgari cibo et potu discernendus sit, 1 Cor. XI, 29. quæ res, si negligatur, graue iudicium importat, c. XI, 27. 29.

§. IV.

Forma huius sacramenti consistit in integra actione, quæ ab ipso Christo Iesu obseruata et præscripta est, et consecrando, distribuendo, manducando et bibendo peragitur. Vid. loca allegata. Vnde ratio illa subtrahendi calicem, quæ in Papatu obtinet, non aliter atque mutilatio sacramenti et inexcusabilis mutatio ordinis Christi haberi potest, qui vini benedicti bibitionem, tamquam ad essentiam huius actionis spectantem, omnibus iniunxit, Matth. XXVI, 27.

Forma
huius sa-
cramenti
in quo-
nam con-
sistit?

P

§. V.

§. V.

Pro quibus sacra
cœna est
instituta?

Quemadmodum Christus traditione corporis atque profusione sanguinis sui propitiatio factus est pro totius mundi peccatis; 1 Io. II, 2. ita etiam sacram cœnam, in qua bona corporis et sanguinis eius edenda et bibenda distribuuntur, *pro omnibus hominibus* instituit. Interim nulli eam *participant digne*, nisi qui veri discipuli Christi sunt, (vid. verba institutionis,) siue, qui se ipsos explorant, 1 Cor. XI, 28. se ipsos diiudicant, com. 31. corpus Domini discernunt, com. 29. illiusque mortem adnuntiant, com. 26. Ad quæ facienda non nisi pœnitentes et fideles idonei sunt. Qui vero resipiscentiæ et fidei expertes sunt, indigne comedunt de hoc pane et bibunt de poculo Domini, adeoque non solum omni spiritali fructu se ipsi priuant, sed rei etiam fiunt corporis ac sanguinis Christi, et damnationem sibi ipsi edunt et bibunt in hac cœna. com. 27, 29.

§. VI.

Quinam
finis, utili-
tas et fru-
ctus sacrae
cœnæ?

Finis autem, *utilitas* et *fructus* sacrae cœnæ est (1) practica et adplicatiua mortis et effusi sanguinis Domini nostri Iesu Christi recordatio. Luc. XXII, 19. 1 Cor. XI, 25. 26. (2) Remissio peccatorum, eiusque obsignatio, Matth. XXVI, 27. 28. (3) Archior cum Christo communio, 1 Cor. X, 16. Io. VI, 56. (4) Incrementum vitæ spiritalis, seu interioris hominis corroboratio, nutrimentum et re-
sq.

focillatio, com. 53. 57. (5) Arctior communio et coniunctio in spiritu cum omnibus spiritualibus corporis Iesu membris, 1 Cor. X, 17. XII, 13. (6) Spei nostræ de futura corporum nostrorum resurrectione et vita æterna confirmatio et obsignatio, Io. VI, 50. 51. 54. 58.

§. VII.

Vt baptismus, sic etiam instituta a Christo cœnam sacram celebrandi ratio *spiritualis* ac *mysticam* habet *significationem*. Ita *sumptio*, *fractio* et *vini effusio*, factæ in diuino consilio separationis et selectionis Christi ad opus redemptionis, Exod. XII, 4. 5. 6. 1 Petr. I, 20. peractæ item in cruce dissolutionis templi corporis, Io. II, 19. nec non profusionis sanguinis ipsius, c. XIX, 34. figura est, sicut *terrestris cibi* ac *potus distributio*, salutis, per sacrificium corporis et effusi sanguinis acquisitæ, exhibitionem et donationem, quæ fit per ministerium spiritus, adumbrat. Ipse autem *panis* et *vinum* nutrientem, corroborantem, refocillantem et exhilarantem virtutem corporis ac sanguinis Iesu, veri illius panis et potus vitalis, significat, Pf. CIV, 15. 1 Reg. XIX, 7. 8. figura itidem et signum est fraternæ ac mutux communionis, quæ inter eos esse debet, qui eiusdem panis participes sunt ex eodemque poculo bibunt, 1 Cor. X, 17. XII, 13. *LVTHERVS* serm. de sacrament. corporis et sanguinis Christi, Tom. VII. Wit-

Num sacra cœna mysticam etiam significationem habet?

reb. fol. 341. a. (Tom. III. Alt. fol. 348. a.)
 „Panis e multis granis conficitur, ex quibus
 „contritis massa immisso fermento coagmenta-
 „tur. Estque panis nihil aliud, quam multo-
 „rum granorum contritorum coniunctio. Ita
 „nos quoque multi, inquit Paulus 1 Cor. X,
 „17. unus panis et unum corpus sumus. Ita
 „quemadmodum unumquodque granum amissa
 „forma propria communem cum aliis formam
 „induit, ut nullum ab alio discerni aut separa-
 „ri queat, sed omnia similia sint, et tamen sin-
 „gula sunt admixta; ad hunc modum oportet
 „et quoque Christianos unum esse, eadem men-
 „te et eadem sententia, sine sectis et dissidiis,
 „ita ut omnia unum sint, sicut una fides, unum
 „euangelium, unum baptisma, unus Christus.
 „Non secus facit verus Christianus, nec aliter
 „scit, quam bona sua aequae esse data proximo
 „suo atque sibi, nullo servato discrimine omni-
 „bus opem fert re et corpore, denique qua-
 „cumque opitulandi ratione prodesse poterit,
 „prodest. Eam imaginem ipsum quoque vi-
 „num exprimit. Vides enim hic multos vna-
 „rum botros simul esse compressor, ex quibus
 „omnibus unus liquor et mustum conficitur,
 „posteaquam unusquisque propriam formam
 „amiserit. Sunt quidem omnes botri iam in
 „vino, nullo tamen discrimine inter se cognosci
 „possunt, sed uno liquore compresso confluxe-
 „runt omnes. Ita videmur a Christo amabili
 „quadam adumbratione totam christianam vi-
 ven-

„vendi rationem esse expressam et depictam,
 „ut non opus sit pluribus libris, nisi quod hæc
 „omnia latius et fusius declarata sint, quo me-
 „lius intelligantur memoriaque et sensibus re-
 „ponantur.„ Ceterum ex veteri testamento
 tamquam typi cælestis huius cœnæ spectari
 possunt panis ac vinum, quod Melchisedecus,
 supremi Dei sacerdos, Abrahamo, a regum
 cæde redeunti, protulit, Gen. XIV, 18. sqq.
 coll. Hebr. VII, 1. sqq. nec non spiritualis ci-
 bus et potio spiritualis ex spirituali sequente
 petra, quæ petra Christus erat, ex qua in
 deserto Israelitis aquam præbebat Deus.
 Exod. XVI, 14. sqq. XVII, 6. Num. XX, 11. Ps.
 LXXVIII, 16. 17. CV, 40. 41. coll. 1 Cor. X, 3. 4.

§. VIII.

Officium omnium fidelium generatim est, Quod-
 (1) seruatori suo gratias agere, quod non nam
 solum per verbum suum et baptismum spi- omnium
 ritualem vitam in ipsis accenderit, sed per fidelium
 cœnam etiam suam, corroborare eam velit officium
 et conseruare. (2) Hac mensa, ad spiritua- tim est?
 lem hanc corroborationem et reliqua bona
 omnia participanda, sæpius vti, eaque re
 cùm seruatore suo, iisque omnibus, qui ipsius
 sunt, semper arctius sese coniungere et coa-
 leskere, 1 Cor. XI, 25. (3) Explorationem sui
 simul diligenter excolere, 1 Cor. XI, 28. in
 primis (4) mentes suas in sacro isto actu ad
 veram famem et sitim communionis Christi,
 sinceramque fidem, promissioni ipsius ha-

bendam, excitare. *LUTHERVS* serm. de nouo Testam. Tom. I. Alt. fol. 517. b. seqq.
 „Quum hoc sacramentum nihil sit aliud, quam
 „testamentum, profecto longe omnium nobilif-
 „sima preparatio ad illud percipiendum est
 „anima esuriens, et firma ac letabunda cordis
 „fides, istud testamentum accipere discupiens.
 „Quis non plenus lætæ cupiditatis, spei ac con-
 „solationis vaderet petitem mille florenos, sic-
 „bi illos sibi destinatos aut testamento legatos
 „esse sciret, maxime si nihil ab ipso requirere-
 „tur, nisi ut testatoris recordaretur, ipsum
 „laudaret ac prædicaret? Sic ante omnia ani-
 „mi tui ratio habenda tibi est, ut credas ver-
 „bis Christi, eaque vera esse sinas, quando tibi
 „et omnibus dicit: Hic est sanguis meus noui
 „testamenti, quo tibi omnium peccatorum veni-
 „niam æternamque vitam lego. Quare, ut
 „dixi, omnia ex huius sacramenti verbis pen-
 „dent, quæ Christus loquitur, quæ sane auro
 „gemmisque includenda erant, nihilque magis
 „oculis mentis proponendum, ut fides in illis
 „exerceatur. Si igitur hoc sacramentum at
 „testamentum digne percipere cupis, id age, ut
 „hæc viuida Christi verba proferas, quibus fir-
 „ma fide innixus ea desideres, quæ Christus per
 „illa tibi promisit, sic dignus et bene paratus
 „es. Hæc fides et hæc fiducia te exhilararet
 „oportet, et certe exhilarabit, et liberum
 „amorem erga Christum excitabit, quo inflam-
 „matus vere piam vitam cum animi alacritate
 „agere

„agere incipies. Quisquis enim Christum amat,
 „is certe faciet, quæ ipsi placent, et intermit-
 „tet, quæ ei displicent. Quis vero ipsum ama-
 „verit, nisi diuitias gustet huius sacramenti
 „Christi, quas miseris peccatoribus ex mera
 „gratia legauit? Gustum vero fides adfert,
 „quæ testamento et promisso credit et confidit.
 „Nisi diuino promisso fidem habuisset Abraha-
 „mus, in nullo factus esset numero. Et (5)
 operam dare, ut donatæ sibi ac collatæ spiri-
 tualis vitæ vires ad multos iustitiæ fructus,
 maxime ad ardentem amorem Christi eius-
 que crucis, nec non ad fraternum amorem
 haud fictum efficaces fiant. *LUTHERVS*
Postill. Eccles. ferm. de Confess. et Sacram.
Tom. XIII. Lips. fol. 453. a. „Hic autem fructus
 „est, ut nos vicissim comedendos et bibendos
 „exhibeamus, quemadmodum corpus et sangui-
 „nem Christi comedimus et bibimus, et alterum
 „quoque his verbis compellemus: Accipe, ede
 „et bibe; ita, ut hæc non iocose, sed serio di-
 „cantur, ut te cum omni vita tua tradas, quem-
 „admodum Christus hisce verbis totum se tra-
 „didit, quasi diceret: En! adsum ipsissimus,
 „qui pro te trador, hunc thesaurum tibi dono:
 „quidquid ego habeo, et tu habebis: si quid
 „tibi, id etiam mihi deficiet. Habes iustitiam
 „meam, vitam meam, salutem meam, ut nec
 „peccatum, nec mors, nec orcus, nec ullum
 „malum te oppressurum sit; tam diu iustus
 „eris et viues, quoad ego iustus ero et viuam.

„Hac ille verba apud nos facit, quæ a nobis
 „capienda et apud alterum recipianda sunt,
 „non solo ore, sed ipso opere, ita videlicet :
 „Ecce, mi frater, accepi Dominum meum, hic
 „meus est, iam satis superque habeo, accipe
 „igitur et tu. Quidquid habeo, tuum esto, et
 „pro te impenditor. Quid? si pro te me mori
 „necesse fuerit, moriar. Hic scopus in hoc sa-
 „cramento nobis fixus est, ut ista amoris in alios
 „demonstratio in nobis appareat. „Et fol. 455. a.
 „Sacramentum ita nobiscum agat, oportet, ut
 „nos immutet et alios plane homines faciat ;
 „verba enim et opera Dei non otiosa esse, sed
 „res magnas efficere volunt. Eo nimirum spe-
 „ctant, ut liberemur a peccato, morte ac dia-
 „bolo, nec quidquam extimescamus, et nihilo
 „tamen secius serui euadamus vilissimi cuius-
 „que hominis in terra, nec grauemur, sed gau-
 „deamus, quod inueniamus nostræ opis indi-
 „gum, immo angamur animo, quod tanta bo-
 „na possideamus, nec ea erogare cuipiam possi-
 „mus. „ Doctorum et ministrorum ecclesiæ offi-
 „cium speciatim est : (1) Grauiissimum huius
 sacramenti abusum, qui ubique inualuit, in
 primis vero sic dictum opus operatum, quo
 loco a plerisque habetur, fidei suæ commissis
 sæpius proponere ob oculos, eosque, ut sibi ab
 eo caueant, admonere : (2) eos, qui ad sacram
 cœnam accessuri sunt, probe explorare : (3)
 rudiores in fundamentis christianismi recte
 instituere : (4) ad dignam participationem
 sum-

Quod-
 nam est
 ministro-
 rum ec-
 clesiæ of-
 ficiū
 specia-
 tim ?

summe necessariam pœnitentiam et fidei exercitium omnibus et singulis diuina cum sapientia inculcare : (5) iis, qui in manifestis carnis operibus viuunt, sine personarum respectu, sacrae cœnæ participationem eique adnexam absolutionem denegare : (6) neminem externa vi ad eam adigere, sed potius, quod ad malos et nefarios attinet, veram vitæ correctionem vrgere, timidas autem et perterrefactas mentes, insignem cœlestis huius cœnæ fructum exponendo, ad eam paterne allicere et excitare. *LUTHERVS* Postill. Eccles. de Conf. et Sacrament. Tom. XIII. Lipsi. fol. 447. a. „Sacramentum per se nec vult, nec potest accipi a coacto, sed mentem querit esurientem, se ipsam compellentem, et gaudentem, quod illud participandi copiam habeat ; ceteros, qui ab hominibus adiguntur, adspernatur et respuit. Vnde dicitur, huius cum plena vi ac potentia huc vsque regnauit per pontificem Romanum, quem induxit, ut omnes homines, summos, medios, infimos ad percipiendum hoc sacramentum compulerit ; ad quod etiam omnes, tamquam sues, concurrerunt propter mandatum : quo ipso autem tanta sacramento illata est ignominia et dedecus, et orbis terrarum tot tantisque peccatis obrutus est, ut recordantem quemque miseratio subeat.”

§. IX.

Solatium, quod fideles filii Dei ex sacra Quod
cœnam fide-